

*MASTER NEGATIVE*  
NO. 93-81309-3

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

# COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

**BUCHHOLZ, EDUARD**

*TITLE:*

**DE PERSONARUM  
DESCRIPTIONE IN...**

*PLACE:*

**CLAUSTHAL**

*DATE:*

**[1854]**


Master Negative #

93-81309-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Restrictions on Use:

-----  
TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35

REDUCTION RATIO: 12x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 4.21.93

INITIALS SJW

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100

Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.

207  
No. 8

# PROGRAMM

des

Nianae sovraefliae Labor,  
gen. Professor Dicardi  
in denkbarer Feinheit  
d. Dr.

## GYMNASIUMS IN CLAUSTHAL

zum

Oster-Examen am 10. April 1854.

---

### Inhalt:

1. Abhandlung: De personarum descriptione in Iphigenia Aulidensi Euripidis exhibita, vom Collaborator Dr. Buchholz.
  2. Uebersicht der im vergangenen Schuljahre ertheilten Lectionen. 3. Schulnachrichten: vom Director Eister.
  4. Ordnung der Prüfung.
- 

CLAUSTHAL.

Gedruckt in der Schweigerschen Offizin.

De

## personarum descriptione in Iphigenia Aulidensi Euripidis

exhibita.

**I**nter tot tamque diversas, quae ad nos pervenerunt, veterum fabulas vix ullam reperiri putaverim, quae, si cum Iphigenia Aulidensi Euripidis comparetur, aut oeconomiae et compositionis ratione habita plures sive patronos sive accusatores nacta aut ob externam formam, quippe temporum injuria misere depravatam, magis in suspicionem adducta aut denique incerta origine, unde profecta pedetentim in formam, quae nunc est, devenerit, saepius in controversia versata sit. Nam neque Rhesus, de qua inde a Scaligeris et Valckenariis usque ad novissima tempora ferventissime disceptarunt, neque Medea, quae eadem multifarie tentata est, neque — ut a comoedia exemplum petam — Nubes Aristophaneae tantos bellum fluctus excitarunt aut tantam ad certamen fenestrarum aperuerunt, ut hac ex parte cum Iphigenia, de qua acervos librorum critici conscripserunt, comparari queant. Et Rhesi, ut in hac persistam, authentiam quidem addubitarunt; at certe non addubitarunt in illa unitatem quandam singularum partium, non perpetuam aequalitatem stili, non omnino incorruptam integritatem fabulae, quae omnia pariter critici Iphigeniae ita abjudicarunt, ut tanquam centonem undique consutum miserrime interpolatam, truncatam et laceratam eam esse statuerent, ex quo sit, ut, si quis subditum incredibili obelos ponendi studio, quod novissimo tempore adeo crevit, ut hic illic critici lusisse potius, quam diligenter ac serio artem suam exercuisse videantur,<sup>1)</sup> in flagrantibus cupiditate, qua refutando illos poetae insonti, quod contra jus ac fas ei eruptum esset, restituere conabantur, in mira hac, inquam, sententiarum varietate et discrepantia vix dici potest quam difficile sit praejudicatas opiniones aut omnino non concipere aut conceptas radicibus ex animo evellere atque in re contorta et ab aliis aliter tentata integre et incorrupte judicare. Sed, quae hominum diversitas est, qua consensus conspirans ac paene conflatus, quem Cicero vocat, in bujusmodi potissimum rebus semper fere aegre disideratur, ne intra hos quidem dissensionis fines controversia sese continuit. Accedit, quod praeter

<sup>1)</sup> Vid. Firnhaber, d. Verdächt. Euripideischer Verse. pag. 4. infr.

criticam quaestionem et ipsa aesthetica, quam vocant, interpretatio vacillat et claudicat; etiamsi enim tot tantasque fabulae veneres ad unum omnes admirantur, tamen tantum abest, ut de singulis partibus consentiant, ut v. c. altera parodi pars aliis genuina, aliis spuria eademque pravissima esse videatur. Neque magis inter se concinunt, quae de epilogi critici disputarunt. In hac ubertate et quasi silva rerum ac sententiarum operae pretium fecisse mihi videbor, si, quantum in harum tabularum angustiis fieri poterit, non solum singula singulorum virorum et judicia et argumenta, quae nunc miro modo dispersa et dissipata jacent, uno in conspectu posuero, sed etiam de personarum descriptione explicavero. Itaque hanc quaestiuclam ita instituere mihi liceat, ut ab iis, quae VV. DD. de Aulidensi in utramque partem disseruerunt, auspiciatus de principibus tragediae personis paulo fusius disputem.

In universum tria eorum genera internoscere licet, qui de Iphigenia Aulidensi conscripserunt. Unum genus eorum est, qui veterum memoriam literis traditam ita servarunt, ut fabulam, quae superstes est, ab Euripidis Mnesarchidae manu profectam esse statuerent, neque tamen posteriore tempore eam a nescio quo interpolatore hic illic mutatam, auctam, interpolatam esse infitarentur. Ad primum illud genus Hermannum, Hartungium, alios referre possumus. — Alterum genus eorum est, qui fabulam, qualem nunc habemus, non primariam Mnesarchidae tragediam, sed potius alteram minoris Euripidis editionem esse edocere studuerunt; cujus sententiae fortissimi propugnatores Boeckhius et Bremius extiterunt. Accedit denique, quem per se stare videamus, Gruppius, qui partim externis, partim internis argumentis nitus eo audacie processit, ut Chaeremoni Iphigeniam assignaret. De quo quidquid judicabis, illud certe ex brevi hoc conspectu appetet, quantopere VV. DD. in hac re dissident, quamque difficile sit in hac sententiarum farragine, in multiplici hac variaque philologorum existimatione suo judicio uti. Sed singula videamus.

Ordiamur a Gruppi,<sup>1)</sup> qui quum Chaeremoni fabulam tribuere velit, multis iisque diversissimis argumentis usus est, quae quidem deinceps ita commemorabo, ut meam qualemcumque sententiam statim adjiciam. Et proficiscitur ille ab Aeliano,<sup>2)</sup> qui plures Iphigeniae Aulidensis versus affert, quos in nostra certe fabula frustra quæsiveris: quid vero impedit, quominus ante epilogum, qui nunc est, illos excidisse cum Bremio<sup>3)</sup> statuamus? Deinde Hesychium s. v. ἄθεατα citat, quam quidam voculam in nostra Iphigenia critici aegre desideraverunt: at in hac certe causa auctoritas grammatici, qui profecto non ab omni errore vacuus censendus est, parum valet,<sup>4)</sup> aut, si quid valet, fortasse non est, quod conamina vocis illius restituenda plane rejiciamus; nam, ut Hemsterhusium omittam, qui v. 57. pro ἄθεατα Hesychii glossam substitutam voluit,<sup>5)</sup> nescio an probanda sit Seyfferti conjectura, qui v. 265 (Firnh.) pro ἄθεατος sagacissime suspicatus est ἄθεατος.<sup>6)</sup> Tum ad scholiastam Aristophaneum provocat, qui istum Ranarum locum, in quo indagando frustra critici desudarunt,<sup>7)</sup> ex Iphigenia Aulidensi desumtum esse dicit; at ex ipso illo scholio luce clarius apparet grammaticum versus Aristophaneos pro centone e diversis locis Euripideis consuto duxisse nec cogitandum quidem esse de loco ad verbum descripto. Insuper ex discrepantiis quibusdam, quas inter Aulidensem et Tauricam intercedere ait, Aulidensem Euripidis non esse efficit; at ineptum est statuere duas has fabulas vel aetate multum

<sup>1)</sup> Ariadne, p. 462 sqq.

<sup>2)</sup> Hist. anim. VII, 39.

<sup>3)</sup> Philoll. Beitr. aus der Schweiz. Bd. I. p. 145.

<sup>4)</sup> Vid. Firnhaber, edit. fab. p. 80. — Wolper, de Medea p. 18. — Zirndorfer, de chronol. fabb. Eur. p. 17.

<sup>5)</sup> Ad Hesych. T. I. p. 730.

<sup>6)</sup> M. Seyffert, de duplice recensione Iphigeniae Aul. quaestiuclula. Halis Saxonum, 1831. Thes. III.

<sup>7)</sup> Rann. v. 1309 sqq.

distantes, tanquam ad trilogiam pertinerent, arte inter se conjunctas esse. Denique ad Athenaeum<sup>1)</sup> provocat V. D., qui versus ex Aulidensi desuntos<sup>2)</sup> Chaeremoni assignat; at nullus dubito Chaeremonem ab Euripide eos mutatum esse, id quod sexentes apud veteres factum esse scimus. — Accidit, quod multa veterum testimonia, inque primis locus Aristotelius,<sup>3)</sup> quem injuria Gruppius interpolatum censet, ejus sententiae, qua Chaeremoni fabulam tribuit, aperte repugnat. Neque magis eorum sententiam acceperim, qui Iphigeniam Aulidensem duplice editam esse credunt. Quanquam gravissimos illa ac nobilissimos patronos nata est, ex quibus Boeckhium,<sup>4)</sup> Lachmannum, G. Hermannum, quem tamen posteriore tempore palinodium cecinisse constat, Bremium,<sup>5)</sup> Eichstadium<sup>6)</sup> nuncupasse sufficiat. Sed videamus de Boeckhii rationibus. Aeliano itemque scholiasta ad Ranas laudatis<sup>7)</sup> ad Alcmaeonem provocat,<sup>8)</sup> cuius iterata editio eodem die atque Iphigenia Aulidensis acta sit; itaque consentaneum ducit Iphigeniam quoque ex repetita editione fuisse: at primum non est cur Alcmaeonem iterum doctam esse statuamus; nam pro certo hodie scimus, dupli cognomine plane diversas fabulas distinctas fuisse, alteram Αἴθαλων τὸν διὰ Κορύθου, alteram τὸν διὰ Ψωφίδος, unde fit, ut de duplice Alcmaeonis editione cogitare omnino non licet;<sup>9)</sup> deinde ut reapse Alcmaeon bis docta sit, ne sic quidem sequitur, Iphigeniam quoque iterum doctam esse; denique ex schol. ad Rann. v. 66. luculenter appetet tres illas fabulas a scholiasta nuncupatas (Iphigeniam, Alcmaeonem, Bacchus) novas, h. e. nondum editas fuisse.<sup>10)</sup> Pergit Boeckhius ad Iphigeniam Tauricam,<sup>11)</sup> Taurica (sic fere argumentatur) ante Ranas docta est, in qua comoedia ejus exordium perstringitur; Aulidensis vero ante Tauricam animo concepta, scripta, docta esse debet: hoc nisi esset, Euripides contra naturam docuisset, scripisset, cogitasset; itaque ea editio, quae teste schol. ad. Ran. v. 66. prodiit, altera fuit. At quid, quæsuo, statuere nos cogit, duas has fabulas, quae, ut vel aetate multum distant, sic nihil fere commune habent nisi argumentum, quippe quod diversissimo modo in utraque poeta tractavit, trilogico, ut ita dicam, nexus inter se cohaerere?<sup>12)</sup> Concidit igitur Boeckhii argumentatio; nec minus concidunt, quae de Homeri recensione Euripi minori assignata disputavit.<sup>13)</sup> Qua in re V. Ill. ita concludit: Verisimile est Homeri editionem, ejus apud Suidam mentio fit, Euripidis minoris esse, quamquam pluribus hoc nomen fuisse novimus; in altera autem parodi parte multa leguntur, quae cum nostra Homeri editione non solum non concidunt, sed plane discrepant: unde probabile fit, editorem istum Homeri, h. e. minorem Euripider, carmen

<sup>1)</sup> XIII. p. 562 E.

<sup>2)</sup> Iph. Aul. v. 544—547 (Firnh.).

<sup>3)</sup> Poet. c. XV. (Bekker).

<sup>4)</sup> Graec. trag. princ. c. XVII. XVIII. XXII.

<sup>5)</sup> Philol. Beitraege aus der Schweiz. Th. I. p. 148.

<sup>6)</sup> De dramate Graecorum comicо-satyrico. p. 99.

<sup>7)</sup> Tr. Gr. Princec. p. 215, 218.

<sup>8)</sup> Ibid. p. 222. sq.

<sup>9)</sup> Vid. Hermann, edit. Iphig. p. XIV. — Firnhaber, edit. p. XXXVI. — Schneidewin, conj. critt. p. 103.

<sup>10)</sup> Cf. Zirndorfer, de Eur. Iph. Aul. Marburg, 1839. — Idem, de chron. fabb. Eur. p. 91. — Firnhaber, l. l. p. XII.

<sup>11)</sup> Tr. Gr. Princec. p. 223.

<sup>12)</sup> Iphigenias inter se nexas esse praeter Boeckhium statuerunt Gruppius (Ariadne, p. 537.), Bremius, Greverus (Eur. Iph. in Aulis, besonders in aesthet. Hinsicht. Herbstprogr. 1837. Oldenburg. p. 9.) Ceterum Gruppius, ne quis horum sententias inter se confundat, a Boeckhio, Bremio et Grevero ita dissidet, ut nostram Iphigeniam Aul. Chaeremoni tribuat, genuinam vero Euripidis, quae cum Taurica ejus arte conjuncta fuerit, intercedisse putet; contra triumviri illi ipsam nostram Aulidensem, quam Euripidi assignant, cum Taurica arctissime cohaerere persuasum habeant. Itaque quatuor his viris id tantummodo hac in re commune est, ut inter Iphigenias Euripidea's arctum vinculum intercessisse statuant. At hoc ipsum nihil nisi communis error esse videtur.

<sup>13)</sup> L. l. p. 225 sqq.

nostrum, quod navium catalogum continet, ita conscripsisse, ut multa ex sua Homeri editione deprompta ei insereret, eundemque omnino Iphigeniam nostram interpolasse. Sed tota haec demonstratio mirum quantum vacillat; nam ipse Suidas s. v. Εἰρηνές dicit: ἡγαψε (Εἰρηνές, τοῦ προτίκου ἀδελφοῦ) Ὑμητικὴν ξέδουσσαν, εἰ μὴ ἄραι ἐπίγονον ξετίνα. Quam incerta igitur esse dicamus, quae tam incerto testimonio nituntur! Neque discrepantiae, quas Boeckhius urget, habent, quod a more sive Euripideo sive poetico abhorrent; itaque non valent ad parodum Mnesarchidae abjudicandam, quam omnino, opinor, DD. VV. justo iniquius exagitarunt.<sup>1)</sup> — Aliud iteratae editionis vestigium Boeckhio judice in iis versibus cernitur, quos, ut nimis negligenter factos, majori Euripidi tribui non posse censem.<sup>2)</sup> Sed ut multiplicem Iphigeniae interpolationem et corruptionem taceam, tragodia nostra, id quod Bergerus jam monuit,<sup>3)</sup> eo tempore scripta est, quo ne meliores quidem poetae eandem in versibus elaborandis poliendisque operam atque antea collocare solebant. — Extremum argumentum a lectionum varietate Boeckhius petivit,<sup>4)</sup> ex qua duce Valckenario<sup>5)</sup> indagare studet, utrius quaeque lectio editionis sit, et qua potissimum re editiones inter se discrepant. Sed totam hanc argumentandi rationem refutavit Seyffert in quæstiuncula sua de hac re conscripta,<sup>6)</sup> in cuius priore parte in universum de variis lectionibus et quadruplici earum origine disputat. Et diversitatem quidem lectionum aut ipsis poetis aut histrionibus aut grammaticis aut librariis deberi docet, quo fiat, ut vera lectionis cujusquam origo ad liquidum perduci vix queat. Sed de quatuor his fontibus Boeckhius ne γρῦ quidem; immo, ut Seyfferti verbis utar,<sup>7)</sup> quicquid inventi, in quo discrepant sive MSS. libri sive veteres autores sive exemplaria typis impressa, non quæsivit, cui quidque ex his deberet proprium vindicare, verum in filium transtulit omnia. Hinc fit, ut haud pauca et patri et filio criminis dentur, quae unde orta sint facile appareat. — In altera parte ad ipsas varias lectiones transit quæstiunculae auctor, quas aut librorum MSS. discrepantiis<sup>8)</sup> aut diversitate memoriae veterum scriptorum<sup>9)</sup> aut sola Aldina<sup>10)</sup> niti demonstrat. — Sed haec tenus de lectionum varietate et sententia Boeckhiana. Nec defuerunt, ut hoc addam, qui aut Boeckhio plane adstipularent aut certe, id quod a Bremio<sup>11)</sup> factum videmus, diversis argumentis idem efficerent. — Restat, ut eorum mentio fiat, qui Iphigeniam nostram Euripidi assignarunt, ita tamen, ut hic illuc eam mutatam et interpolatam esse statuerent. Iluc pertinet, ad quem infra redibimus, Zirndorfer; pertinet, qui Mehlhornio et Lindemannio<sup>12)</sup> facein praetulit, G. Hermannus,<sup>13)</sup> quo judice Iphigenia genuina quidem Mnesarchidae tragœdia est, sed fine illa truncata et aliquot saeculis post ab ignoto quodam scriptore interpolata; pertinent Matthæus<sup>14)</sup> et Bartschius,<sup>15)</sup> qui Iphigeniam, quum ab Euripide majore imperfecta

<sup>1)</sup> De parodo vid.: G. Hermann, praef. p. XIV. — Zirndorfer, de chronol. p. 96. 97. — Firnhaber, edit. fab. p. 258 sqq. — Gruppe, Ariadne. p. 484. — Mehlihorn in: Allg. Schulz. Nr. 79—81. 1833. p. 629.

<sup>2)</sup> L. l. p. 261.

<sup>3)</sup> De Iphig. Aul. Euripidis tragœdia. Progr. Cell. 1843. p. 21 med.

<sup>4)</sup> Tr. Gr. princ. cap. XXII.

<sup>5)</sup> Praef. ad Hippolyt. p. XVIII.

<sup>6)</sup> De dupl. rec. Iph. Aul. quæstiuncula. Halis Saxonum. — Censuram hujus libelli vid. in: Z. f. A. 1838. Nr. 23.

<sup>7)</sup> Ibid. p. 13 med.

<sup>8)</sup> Ibid. p. 14 supr.

<sup>9)</sup> Ibid. p. 14 infr.

<sup>10)</sup> Ibid. p. 16 infr.

<sup>11)</sup> Ueber zwei Ausgaben der Iph. in Aul. in: Philoll. Beitr. aus der Schweiz. 1. Bd. Zürich, 1819. p. 143 sq.

<sup>12)</sup> Progr. Zittay. 1836.

<sup>13)</sup> Vid. praef. ad Iph. Aul, imprimis p. XXVIII.

<sup>14)</sup> Ad Eurip. Tom. VII. p. 320 sq.

<sup>15)</sup> De Eur. Iph. Aul. auctore quaest. p. 50.

relicta esset, ab Euripide minore nonnullis locis suppletam, posteriore autem tempore ab aliis aliter interpolatam esse censem; pertinet Hartungius,<sup>1)</sup> cui a versificatore quodam stupidissimo et bardissimo, extremis antiquitatis temporibus, certe post Aelianum vivente miserrime interpolata et corrupta esse videtur; pertinet Bodius,<sup>2)</sup> qui fabulam nostram ab Euripide minore paullulum mutatam censem; pertinet denique Kiefferus<sup>3)</sup> et Witzschelius,<sup>4)</sup> qui, quanquam fabulam interpolationibus obnoxiam fuisse non infiantur, tamen poetam insontem contra tot tantosque adversarios et genus istud criticorum, qui ubivis interpolationes odorantur, suo jure defendant.

His strictim inchoatis magis, quam fusius explanatis jam ad id transibo, de quo his tabulis paulo copiosius disputaturus sum, nimirum ad personarum descriptionem, qualem in Iphigenia Aulidensi poeta proposuit. Et ordiamur quidem ab ea persona, in qua potissimum id appareat, quod, ni egregie fallor, ante oculos ponere Euripidi in animo erat. Nam, quantum ego sapio, id ille egit, ut ostenderet in vitae tempestate, ut ita dicam, atque fluctu eum tantummodo viam salutis invenire posse, qui morum integritate pariter ac vitae sanctitate eluceat;<sup>5)</sup> id quod Iphigeniae exemplo ita illustravit, ut, quem nodum Agamemnon, Menelaus, Achilles, quippe sapientissimi et potentissimi viri, expedire frustra conati sunt, eum ab Iphigenia solutum faceret, ut quae in media omnium rerum perturbatione pro patriae salute caput suum vovere derepente constitut: ex qua consilii mutatione factum est, ut nonnulli critici, inque primis Aristoteles,<sup>6)</sup> primariam fabulæ nostræ personam ob mentis inconstantiam et mutabilitatem acerrime reprehenderent. Nec defuerunt, qui omnino Iphigeniae personam, ut ex diversissimis ingenii lineamentis conflatam, aegerrime ferrent, ne dicam plane reprobarent. Sed praeter alios virginis patronus exstitit Schillerus noster, qui Iphigeniae inter spem et metum, inter constantiam et infirmitatem, inter fortitudinem et pavorem timide fluctuantis imagine nihil venustius aut naturae magis consentaneum esse dicit suamque descriptionis Euripideae admirationem ingenue profitetur.<sup>7)</sup> Et id quidem recte cum fecisse arbitramur. Nam quid mirum, si virginem vix adultam eandemque hominum ac rerum humarum juxta ignaram, et quae ex remotis et tacitis mulierum sedibus, ex gynaeci silentio et tranquillitate in mediis miseriarum malorumque turbas nec opinato ejicitur, — quid mirum, inquam, si non constantem ac firmam, sed variam ac mutabilem, non in proposito perseverantem, sed modo hoc, modo illuc fluctuantem, non sibi res, sed potius se ipsam rebus subjungentem illam videmus? Immo quemadmodum omnino adolescentes plumis aut folio facilius moventur, atque ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela dare conseruerunt: ita Iphigeniae inconstantia duplēcim, opinor, excusationem habet, quia non solum juvenis est nec juvenile quidquam a se alienum putat, sed etiam tanta novarum rerum procella ac turbine repente excitato non perturbari non potest. Nam reputemus, quaeo, quae qualisque virginis sors ac conditio sit. Ex quiete nullo motu turbata et perpetua obscurae vitae simplicitate illico in medios castrorum tumultus incidit; quae antea nullas nisi servarum et aequalium voces audivit, nunc tubarum clangores, nunc armorum strepitum, nunc militum clamores et tumultus perhorrescit; quae antea vix et ne vix quidem virorum coetui interfuit, immo eorum adspectum, ut par erat, anxie vitavit, nunc gregibus non placidorum civium, sed effrenatorum et agrestium militum undique stipatam se

<sup>1)</sup> De Iph. Aul. interpolatione. Edit p. 69 sqq. — De Hartungio cf.: Hermann. praef. ad Phoen. p. VII. — Witzschelii censura editionis Hartung. l. l. — Firnhaber p. XXXVIII. XXXIX.

<sup>2)</sup> Gesch. der dramat. Dichtkunst der Hellenen. Th. 1. p. 514.

<sup>3)</sup> Progr. Nuernb. 1837 et 1838.

<sup>4)</sup> N. Jahrb. für Philol. und Paed. 1839. XXVII. 1. et 2

<sup>5)</sup> Cf O. Mueller, Lit.-Gesch. Bd. 2. p. 177.

<sup>6)</sup> Poet. c. XV.

<sup>7)</sup> Vid. Schilleri adnotatt. ad conversionem fabulæ.

videt. Ex hac mutata conditione quot qualesque novas novarum rerum imagines virginem percepisse dicamus, quae juvenilem ejus mentem non attollere, sed opprimere, non acuere, sed hebetare, non locupletare, sed confundere debebant? Accedit aliud, neque id levius, momentum. Nempe ad nuptiarum solemnia Aulidem venisse scimus Iphigeniam, quam eo libentius patris imperio obtemperasse consenteum est, quo majorem Achillis gloria Atridarum genti, qui et ipsi generis antiquitate floruerunt, honorem addere debebat. At, eheu! pro corona nuptiali secespitam, pro maritali funebrem paratam sibi videt faciem; non solum laetissima nuptiarum spe privatam se sentit, verum afflictam, abjectam, prostratam. Sed ne sic quidem omnes aerumnas exantlasses dici potest. Non satis est, ut ex otii domestici suavitate ac dulcedine in perniciosas vitae insidias abripiatur; non satis est, ut, ab omni spe destituta, in ipso aetatis flore instar hostiae immolationi destinata sit: sed insuper, tanquam Pietas in terris diu morata ad superos recesserit, in eo est, ut ab ipso patre crudelissime Orco mactetur. O fallacem hominum spem! Quid? Ita debet esse tantae integralis tantaeque innocentiae exitum? id tantae caritatis tamque pii amoris praemium? Quidni igitur mortem palleat virgo, quae vitam ejusque fructum contemnere nondum didicit? quidni, jucunditatibus illius capta, patrem imploret, ut suae ipsius filiae pareat? Haec illa Iphigenia est, quam supplicem vocat Stagirites: imminente vitae periculo metu atque horrore perfunditur, ad patris pedes sese prosternit, mortem deprecatur. Itaque pura puta etiamnunc puella est, nil amplius; immo ne umbram quidem generosae mulieris praeberet, quae postea sua sponte vitam profundit. Sed latet jam et gliscit in intima mente praeclarae illius virtutis igniculus, qui paullulum accensus mox ita crescit, ut totus animus divino quasi instinctu concitetur. Quod quā factum sit, egregie profecto Euripides depinxit. Nec latet, quae qualisque consiliū mutandi causa fuerit. Nempe in eo cernitur, quod Achilles auxilium suum pollicendo vitam contra jus ac fas a virgine abjudicatam ei reddit ac restituit. Nunc demum diram istam moriendi necessitatem, quam antea aversabatur, sublatam videt; nunc demum liberam se sentit et solutam, quia sui juris suaequae vitae potens facta est, nec amplius ex aliorum arbitrio pendet; nunc demum optio ei data est, utrum suam ipsius salutem anteponere an pro patria ad mortem se offerre velit.<sup>1)</sup> Sed in hac virtutis cum imbecillitate quadam certatione naturae bonitas vincit, nec diu haesitat, quid facere praeestet. Quid enim? Nonne in summum dedecus incurrit virgo, quae, si diis placet, patriae salutem morte sua mercari recusat? Nonne dulce est ac decorum vitam suam patriae dedere? Scilicet promisit Achilles virginem tueri; ergo vitam suam ipsa possidet; quam si profundit, magnum ac praeclarum facinus fecisse putabitur. Itaque moriendi consilium capit, vitae renuntiat, mortem appetit. En peripetiam illam, quam vocat Aristoteles,<sup>2)</sup> quae quidem vix dici potest quam artificiosa a poeta et instituta et descripta sit. Nam quo minus supplex illa Iphigenia admirationis sensus excitas videtur,<sup>3)</sup> eo magis alteram hanc et plane mutant, quae, tanquam sexum egressa divinoque spiritu tacta, exemplar et quasi simulacrum perfectae mulieris praeberet, necessario spectatores totos ad se rapuisse appareat.

Sed hoc loco paullisper subsistamus velim, siquidem non abs re erit tribus verbis de argomento fabulae commemorare. Nimurum constat mulieris ulti victimam sese praebentis imaginem Euripi adeo adamamat fuisse, ut non semel, sed vel quater, quantum scimus, spectatoribus ante oculos eam proponeret; quemadmodum enim in hac nostra fabula Iphigeniam, ita in Heraclidis Macariam, in Illeca Polyxenam, in Erechtheo<sup>4)</sup> uxorem Erechthei sponte morientes depinxit, et ita quidem depinxit, ut

<sup>1)</sup> Gruppe, Ariadne. p. 494: Jetzt will sie sterben, und sie kann es jetzt erst wollen.

<sup>2)</sup> Poet. c. XI.: ἥτι δὲ περιπέτεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐκτελεῖν τὸν πατρούλων μεταβολή.

<sup>3)</sup> Quanquam misericordiam movet sumnam, siquidem indignissimam fortunam subit. Aristot. poet. c. XIII. (Bekk.) ὁ μὲν γὰρ [θεός] περὶ τὸν ἀνάξιόν του δυστυχοῦται.

<sup>4)</sup> Vid. Erechthei fragm. XVII.

singulae singularum personarum descriptiones parum mutatae variataeque esse videantur.<sup>1)</sup> Immo ne ut non mulieri, sed juveni potius (Menoceum dico) victimae partes deferret. Quae quum ita sint, suo utrum singulari ejus negligentiae an egestati cuidam animi illud imputandum sit. Utut est, nimis fere ex ingenio et more Euripideo colorem duxisse, sed etiam hic illic, sicut in Phoenissis factum esse ne vix quidem intelligitur, qua ratione repetita illa, neque ea admodum scita, ejusdem argumenti satisfacere potuerit; occidit enim, ut cum Juvenali adagio utari, cramble repetita magistros et auditores, noscere scirent. Neque vero hanc rem praepropere judicatam velim. Quanquam enim difficile dictu saltem licebit. Et fortasse id egit, quod Firhaber suspicatus est,<sup>2)</sup> ut hominibus illius aetatis, qua quae Athenienses ad unum omnes prioris aetatis admiratione eosdemque dolore quodam ob amissam laudem imbuere debebat. Huc cum Firhabero retulerim, quod Lycurgus orator dicit,<sup>3)</sup> Euripidem μῆτρας ἀποθλέτων αὐτεγγένεθα ταῦτα ψηφαῖς τὸ τὴν πατρόθεα φύλετον. Quanquam vix arbitror, quod ajunt, sua posteriore ad verbum fere repeteret: et hoc quidem jam ideo vetamur statuere, quod in tanta discriptionum illarum similitudine tamen non desunt, quibus mirum quantum inter se differant. Accedit, quod erant, inopia iterum ac tertio ad ea confugerent, quibus spectatores pro ingenio suo maxime delectarentur<sup>4)</sup>; neque minus apparatus scenici ratio illis habenda erat, quem, praesertim si nostra in hoc illud praetermittendum est, illo tempore ipsam hominum vitam hac nostra multo minus variam ac multiplicem fuisse; ex quo enim maxima orbis terrarum pars Christianam doctrinam profisetur, divino quodam consilio tanta omnium rerum perturbatio exstitit, ut et tempora et homines quam maxime mutarentur. Ab illo inde tempore accidit, ut plane novarentur rerum publicarum formae, ut converteretur privata hominum vita, ut cognitio et intelligentia, scientia et eruditio miro modo crescerent, ut denique cultus et humanitas per omnes fere terras pervaderent et quasi fluenter. Ex qua omnium rerum novatione quot quantosque cogitandi meditandique stimulos provenisse dicamus? Hinc enim factum est, ut uberrima novarum rerum copia et quasi silva redundaret, unde historiographi, philosophi, poetae, omnino omnes cuiusvis generis scriptores largam scribendi materiam desumere sibi possent, quam, quum posteriori denuo saeculo debeat necdum veteribus praeesto esset, posteris tantummodo fructum tulisse patet. Itaque veteres in tanta vitae sua simplicitate justo saepius ad idem argumentum redisse non est quod miremur. Denique, ne hoc reticeam, Euripides non sine gravi causa mulieres generosiores in fabulis suis depinxisse mihi videtur,

<sup>1)</sup> Cf. Firhaber, edit Iph. Aul. Excurs. VI. p. 276 sqq. — Verdächtigungen etc. p. 22 sqq. 25 sqq.

<sup>2)</sup> Lit.-Gesch. Bd. 2. p. 162.

<sup>3)</sup> Edit. Iph. p. 277.

<sup>4)</sup> Leocrat. p. 160, 9.

<sup>5)</sup> Firhaber, Verdächt. p. 24. et 25.

praesertim quum jam antiquitus fuisse sciamus, qui, sicut Aristophanes fecit, ut mulierum osorem acriter eum traducerent et cavillarentur, ac nescio an aliqua ex parte probanda sit conjectura Wagneri, qui Alcestin  
mulierum Graecarum compositam esse suspicatur.<sup>1)</sup> Quod si verum est, ejusmodi descriptio-  
nibus gratiam illarum immerito amissam recuperare studuit, et id quidem eo facilius efficere potuisse  
videtur, quo magis feminis Atticis (exceptis, ut par est, virginibus) nisi comoedias, at certe tragoealias  
spectare licuisse nunc quidem constat.<sup>2)</sup> Nec dubitandum est, quin reapse mulierum Graecarum animos  
sibi reconciliaverit; nam, ut O. Muellerus dicit,<sup>3)</sup> Euripides feminas honorificentius quam contumeliosius  
tractavit, immo dignas eas duxit, quarum in moribus ingeniiisque cognoscendis haud mediocre studium  
collocaretur. Nec raro rem ita instituit, ut mulieribus longe graviores partes tribueret, quam viris.  
Sed ut ut est, illud profecto liquet iteratam ejusdem argumenti tractationem non ex nostrae aetatis sensu  
iudicandam esse, qua de re poeta ut plane purgari non possit, at potest quodammodo excusari.

His strictim tantummodo inque transcurso commemoratis redeo ad id, unde degressus sum, nimirum ad descriptionem morum Iphigeniae, quam ne antiquitus quidem reprehensionem effugisse videmus. Et Aristoteles, quantum scimus, is fuit, qui primus in illa offenderet. In Poetica enim<sup>4</sup>) ubi tria enumeravit,<sup>5)</sup> quorum in personarum descriptione ratio habenda sit, sic pergit: τέταρτον δὲ, τὸ ὄμαλὸν πᾶν γένος ἐνόμιμον τούτον ήδης ἐποιεῖς, ὅμως ὄμαλος ἀνώμαλος δεῖ είναι. — — τοῦ δὲ ἐνόμιμον [τυπούμενα] ή δὲ Λαϊκή Ἰγνέρεια οὐδέτερη γένος λουτερή ή ἀκτείνοντα τῆς ἐντόξηα. Quae verba quum alii alter interpretati sint, quaerendum est, quid sibi velint, qua in quaestione Gruppium toto coelo errasse patet; censem enim Aristotelem verbis ὄμαλος ἐνόμιμος illud inconstantiae genus significare voluisse, quod inconstantia videatur quidem esse, sed reapse non sit.<sup>6)</sup> At in hac explicatione cautionem illam ac prudentiam, qua, si quis alias, interpres Aristotelius indiget, aegre desideramus. Immo hoc sibi vult Aristoteles. Persona tragica, inquit, semper constans esse debet, quae constantia in eo potissimum cernitur, quod a carceribus usque ad calcem eandem sese praebet aut, ut Horatii verbis utar,<sup>7)</sup> ad imum servatur, qualis ab incepto processit. Sed ne sic quidem persona inconstans ac mobilis a tragedia abhorret, immo potest admitti, ita tamen, ut in hac ipsa inconstantia constantem sese praebeat, b. e. per totam fabulam in mobilitate sua persistat. Itaque fieri potest, ut et ipsa inconstantia instar constantiae habeat, dummodo perpetua sit, et personae alicui usque adhaereat. Hanc interpretationem, quae Bartschio<sup>8)</sup> et E. Muellero<sup>9)</sup> debetur, unice veram esse nullus dubito, quanquam, quale tandem sit τέταρτος illud ὄμαλος ἀνώμαλος quave ratione a poetis descriptum, vix et ne vix quidem enodari potest, siquidem philosophus exemplum, quo hoc ipsum inconstantiae genus quodammodo illustraretur, nullum attulit.

<sup>12</sup>) Commentatio de Alcestide Euripidea. Edit. fab. p. 11.

<sup>2)</sup> Cf. de hac re: Becker, Charicles. Bd. 2. p. 249 sqq. — Boettiger, *kl. Schrr.* Vol. I. p. 295 sqq., p. 308 sqq., 313 sqq. — Aldobrandin, *Hochz.* p. 137. — Schlegel, *Griechen u. Römer.* Vol. I. p. 312. — Boeckh, *Graec. trag. princ.* p. 37. — Jacobs, *verm. Schr.* Vol. IV. p. 272. — Athen. *Briefe.* Vol. I. p. 539. — M. H. E. Meier in: *Allg. Lit.-Zeit.* 1836. n. 119. p. 317. — W. A. Passow in: *Zeitschr. f. Alt.* 1827. p. 29.

<sup>3)</sup> Lit.-Gesch., Bd. 2, p. 146.

4) C. XV.

b) ἵθη χοροτὰ, ἀρμόττοντα, ὅμοια.

<sup>6)</sup> Ariadne p. 559; — Es fehlt ei

Inconsequenz, findet nun aber in der Iphigenie statt.

<sup>7)</sup> Ars poet. 126 sq.: — (persona) servetur ad **imum**,  
qualis ab incepto processerit, et sibi constet.

<sup>8)</sup> Dissert. p. 47.

### **2) Geschichte der**

3 Gesetze der Transformation

Neque id fugit Gruppium, qui, quippe suo ipsius consilio favens, hac re ita abusus est, ut totum, quem attulimus. Poeticae locum interpolatum esse ex ea concluderet. Ac satis liquet, cur sic fecerit V. D. Scilicet id egit, ut fabulam nostram ab aliis aliter tentatam non Euripidis, sed potius Chaeremonis esse omni pignore contendenter; cui sententiae quam Aristoteles non dico parum faveret, sed plane repugnaret, non potuit quin ejus Poeticam fingeret interpolationibus foedatam. At huic commento non desunt quae opponi possint. Primum enim ille Poeticae locus non is est, qui *νοθεας* vestigia prae se ferat; nam exempla continet, neque, ut Bartschii verbis utar,<sup>1)</sup> in exemplis quidquam est, quod interpolationis speciem habeat, utpote quae antecedentia generatim dicta illustrent nec omnino a ratione Aristotelia aliena sint. Deinde vero ne Gruppius in hac certe re Stagirite nimium tribuerit,<sup>2)</sup> quem, ut par est, debito quidem honore nemo non prosequitur, sed nos saltem non ita prosequimur, ut ab omni vitio remotum illum putemus. Et Poeticam quamquam fuerunt qui omni numero perfectam et absolutam judicarent,<sup>3)</sup> tamen non desuerunt, qui Marklando auctore<sup>4)</sup> ηρωης Euripidis quam *ηρωων* Aristotelis sequi se malle ingenue confiterentur. Denique rationes illae, quibus sententiam suam firmare studet Gruppius,<sup>5)</sup> quemadmodum per se vacillant et claudicant, sic Poeticae, ut ita dicam, indoli atque naturae mirum quantum repugnant. Nam ut tribus verbis hoc tangam, de Poetica recte jam vidit G. Hermannus,<sup>6)</sup> ita quidem, ut opus eam esse autumaret non diligenter elaboratum, sed id potius, in quo auctor breviter tantum ac strictim annotare vellet, quae fortasse in opere majore accusati et fusius exequi ei in animo erat. Quae si tenemus, ea, quae ab interpolatori manu profecta Gruppius censem, negligentiae potius aut incuriae ipsius philosophi imputanda sunt, et facillimos explicatus habent. Nam quod et aliis Aristotelis libris accidisse scimus, ut festinanter et parum accurate conscripti posteriore demum tempore foras darentur, id quodammodo vel in hanc nostram Poeticam quadrat, ex quo fit, ut non tam operis in vulgus emittendi quam commentarioli ad usum aut ipsius auctoris aut discipulorum auditorum ejus destinati speciem praebeat ac manifesta originis suae indicia prae se ferat. Hinc vero externa Poeticae Aristoteliae forma judicanda est: quod ad rerum dispositionem pertinet, nihil est quod desideremus; nihil, quod ad rationem qua multa paucis complectetur scriptor; sed singula non prosequitur, quanquam ubivis stilum, ut ita dicam, dilucidum subtilitatemque Stagirite acile agnoscamus. Aristotelium hoc scribendi genus in eo potissimum cernitur, quod quam paucissimis verbis omnia exprimere studuit auctor, unde factum est, ut orationis calamistris verborumque lenociniis et pigmentis non dicam maligne uteretur, sed plane abstineret. Itaque non fusius exequi, sed astricta prebeat adumbrare, non accurate exponere, sed strictim in chartam conjicere rem suam voluit ille. Hinc explicationem suam habet incuria ista, qua interdum argumentum tractavit scriptor; hinc inaequalitas stili, quae hic illic ut in ceteris scriptis sic in Poetica comparet, quam stultum esset interpolatoris nescio cuius edulitatem imputare. Quod quo jure Gruppius fecerit, jam patet; nam in Poetica omnia illa desiderat, quae peris politius limati, ad umbilicum perducti usuique omnium destinati esse solent. Ceterum omnia haec non ita accipi volo, tanquam interpolationes, quales Gruppius statuit, fieri potuisse infier; at statuendas esse infitor, ubi certissima depravationis indicia desint, quae hoc nostro loco deesse quivis videt.<sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> L. l. p. 45.

<sup>2)</sup> Ariadne, p. 559, 560.

<sup>3)</sup> Vid. quae Lessingius desuntaxit in: Hamb. Dramat. Bd. 2, p. 306.

<sup>4)</sup> Ad Iph. Aul. v. 1735. — Ceterum cf. de tota hac quaestione: Hermannum in praef. ad h. f. p. XXVII. — Lindemann, Progr. Gymn. Zittav. 1836 p. 6. — Jacobs, Nachträge zu Suizers Theorie. V. p. 395. — Schiller, adnott. ad fabulae convers. — Bartsch, l. l. p. 47. — Berger, Progr. gymn. Cell. 1843 p. 5.

<sup>5)</sup> Ariadne. p. 552 sqq.

<sup>6)</sup> Praef. ad Aristot. Poet. — Cf. Graefenhan in Prolegom. ad eundem libr.

<sup>7)</sup> In interpolationibus statuendis omnem fere modum excessit Ritterus in editione sua (Koeln, 1839).

Postquam de Poeticae interpolatione et Gruppii sententia paucis commemoravimus, quem in hac saltem re nubem pro Junone amplexum esse credimus, statim altera quaestio, et ea a Bartschio neglecta,<sup>1)</sup> oritur: utrum suo jure Aristoteles Iphigeniae inconstantiam vituperaverit necne? Et Aristotelii quanquam Schlegelius adstipulatus est,<sup>2)</sup> qua de causa a Gruppio castigatur,<sup>3)</sup> tamen (sit verbo!) toto coelo eum errasse persuasum habemus; nam quum personam inconstantem ut per se vitiosam reprehenderet, ignorasse videtur fieri posse, ut hujusmodi persona, dummodo ejus inconstantia ex personarum ingenii totoque rerum nexus satis explicari possit, non modo excusationem habeat, sed etiam eximiae pulchritudinis specimen evadat. Quod ipsum in hac nostra fabula fieri facile appareat nec insitabatur is, qui satis secum reputaverit, quo admirabili rerum et calamitatum concursu supplex illa Iphigenia in mulierem generosam mutata sit. Agamemnon, quantum in ipso situm erat, studuit quidem filiam suam servare, sed frustra studuit; Menelaus, qui antea sceleri brachia praebuerat, Iphigeniae immolandaes consilium abjectit quidem, sed sero abjectit; itaque quum omnia pariter conamina ad irritum redacta esse videatur, res jamjam eo deducta est, ut ipse Pelides amore flagrans virginem ad irrumptum solvi non posse videatur. In hac omnium rerum desperatione virtutis divinum quoddam numen solvi non posse videatur. In scintillulae, quae in virginis pectore adhuc latuerunt, miro modo crescunt et, ut ita dicam, in flamas erumpunt; mori constituit, seque ipsam ultro diis inferis devovet. Spontanea haec devotione, ut cum O. Mueller loquar,<sup>4)</sup> instar solutionis est, qua res contortissima et impeditissima, et quae alias diis expedienda relinquuntur ab Euripide, ad exitum pervenit, ex quo fit, ut tanquam praeclarissimum facinus summa gloria splendeat eniteatque. Quid vero? Quum omni numero admirationem efficiat haec virginis inconstantia, num vitiosa ea erit et reprehendenda? non praeclara? non eximia? non summa arte et inventa et descripta? Nempe ne Achilles quidem, quippe vir militaris, ab admirationis sensu alienatus est tamque parum suos animi motus cohibere scit, ut in verba illa erumpat:<sup>5)</sup>

ῳ λῆπτι ἄριστον, οὐκ ἔχω πόσος τοῦτο την  
λέγειν, ταῦτα τούτα δοκεῖ γενναιὰ γῆρας  
προφείται τοι.

Sed accedit aliud, neque id levius momentum, quod quum a ceteris fabulae personis petitum sit, ad Iphigeniam plane purgandam haud parum valet. Nimurum in hac nostra tragodia omnia ita miscentur et turbantur, malum tam subito excipit malum, ut praeter Clytaemnestram ac senem servum omnes personae, tanquam fortunae violentiam tolerare nequint, invitae modo hoc modo illuc iacentur seque rebus, non sibi res subjungant. Nam Iphigeniae quasi exemplum secuti etiam Achilles, Agamemnon, Menelaus summam mentis mutabilitatem pateferunt. Et Achilles quidem initio, quod Horatius dicit, acerem et inexorabilem, mox, virginis amore captus, mitem ac facilem sese praebet, qua de re Zirndorfer, ad eius argumentationem infra redibimus, duos Achilles in unum quasi confusos esse arbitratur; Agamemnonem, quem antea virginis immolationi non repugnasse scimus, statim in fabulae exordio Agamemnonem, quem antea virginis immolationi non repugnasse scimus, statim in fabulae exordio huius rei poenitet, atque omnino is est, qui in diversissimas partes distrahi se sinat; nec minus inconstantem Menelaum videmus, qui, quum initio in sacrificandae virginis consilio obstinato animo persistat, paullo post, vi poenitendi ac miseratione commotus, Agamemnonis gratiam sibi reconciliat. Quid vero? Si ne fortissimi quidem viri sibi constant, quid de virgine infirma ac debili dicamus? Ceterum poeta,

<sup>1)</sup> Cf. Quaest. p. 47.

<sup>2)</sup> Dramat. Kunst I. p. 246.

<sup>3)</sup> Ariadne p. 560 supr.

<sup>4)</sup> Gr. Lit.-Gesch. Bd. 2. p. 177.

<sup>5)</sup> V. 1413 sqq. (Firnh.)

siquidem ad rem suam sapere vellet, Iphigeniam inconstantem facere non potuit solum, sed debuit; id quod luce clarius apparebit, si cum Polyxena, quam Euripides in Hecuba descripsit, eam comparaveris. Et ut Iphigeniam respiciamus, quae, vitae amore capta mortemque deprecata, tum demum se devovet, quum vitae ac mortis arbitrium permissum sibi videt nec amplius mori coacta est: quot quantaque delicias patriae saluti eam postposuisse dicamus, quae parentes, fratrem, tot tamque cara capita, omnino omnia vitae bona vitamque ipsam pae illa contempsit? Hac vero rerum humanarum jactura virginem multo plus dignitatis acquirere, quam honorum amittere quis non videt? At quam longe ab ea distat Polyxena! Nam tantum abest ut vitae cupiditate flagret ut non flocci eam existimet ac servitatem, quae instet, ejusque miseriam pessimam in partem describat.<sup>1)</sup> Quid enim, inquit, in vita amplius maneam? Quid in pretio habeam hanc hujus vitae lucem, in qua nulla jam jucunditas reliqua est? Quidni moriar, cui mors exoptata venit? — Patet his atque similibus poetam sua ipsius vineta caedere, quia is, qui vitam tanquam onus molestissimum abjectit, non tam de aliis bene meruisse, quam sibi ipsi induxisse videtur.<sup>2)</sup> Quantam vero et quam incredibilem gloriam Polyxenae conciliasset poeta, si ad Iphigeniae exemplum vitae non pertaesam; sed cupidam potius eam fecisset! Quanquam Polyxenae personam, quam in Hecuba descriptam habemus, ad movendos spectatorum animos parum aptam esse ne Euripides quidem ignoravit, ex quo factum est, ut, quod detrimentum ex vitae contemplatione Polyxenae persona cepisset, id quodammodo ita resarcire studeret, ut lenociniis quibusdam extrinsecus petitis sensus suaviter afficeret et quasi titillaret.<sup>3)</sup> Hinc splendida illa et, ut ita dicam, graphicā narratio,<sup>4)</sup> qua Polyxenae mortem poeta descripsit. A juvenibus adducitur virgo; ad umbilicum usque corpore denudato pulchras suas ostentat papillas; ipsa rogat, ut extrema plaga sibi infligatur; cunctans atque invitus juvenis ei obtemperat, et vel collabens moriensque virgo prospicit, ut pudice et honeste concidat. Totus hic locus quid sibi velit, in promtu est. Poeta, qui, utrum recte quid an secus sese haberet, satis internoscere poterat, spectatorum oculos praestriktos voluit, nil amplius; quae persona ad misericordiam concitandam per se non apta erat, eam artificiis illis et illecebris ita exornare studuit, ut vis quaedam tragica exstrinsecus quasi ei accederet. At, quantum ego sapio, tragica haec vis fere nulla est, ac nescio an prima Iphigeniae commendatio inde proficiscatur, quod hujusmodi artificiorum est umbra quidem in ea appetit; nec omnino iis indiget Atridae filia; nam, quae insignis Polyxenae et Iphigeniae discrepantia est, haec eximia sua generositate, qua carissima quaeque patriae postponit, nunc admiratione, nunc voluptate, nunc misericordia nos afficit, illa per se stare nequit ideoque externa ornamenta assumere debet, ne plane infleta animam expiret. Sed quoniam semel Polyxenae mentio facta est, non abs re erit Sophocleam fabulam ejus nomine insignitam commemorare,<sup>5)</sup> quae, quanquam temporis injuria intercidit, tamen ab antiquis scriptoribus nonnullis locis laudatur.<sup>6)</sup> Ac veri simillimum est Polyxenam Sophocleam dignitatem et gravitatem Euripideam longe praestitisse, nec possum quin Gruppio adstipuler, qui non vitae pertaesam, sed cupidam illam fuisse suspicatur, quod si statuimus, statim illud sequitur in describenda virginis morte externa illa ornamenta a Sophocle aut maligne aut plane non

<sup>1)</sup> Hecub. v. 349—378 (Pflugk.): τιτάνη με δεῖξεν; καὶ τὸ λ.

<sup>2)</sup> Wolter, de Eurip. Hecub. (Progr. Ilfeld.) p. 19: Quid enim? utrum Polyxenam, cui mors venit optata, quippe quae eam liberet foeda servitute (cf. Hec. v. 198, 349 sqq. 374.) an Hecubam — — miseriorem esse putabimus? — Gruppe, p. 373.: Muthig, fest und stolz in den Tod gehen ist himmelweit verschieden von muthlosem Aufgeben eines Lebens, das man nicht länger mag.

<sup>3)</sup> Gruppe, I. I. p. 373: Ausser einigen Sentenzen glänzt das Stück nur durch Schilderungen, welche z. B. bei Polyxenens Tode selbst sinnlichen Reiz nicht verschmähen etc.

<sup>4)</sup> Cf. nuntii narrat.: Hecub. v. 518—582. (Pflugk.)

<sup>5)</sup> Cf. de hac fabula: Gruppe I. I. p. 595.

<sup>6)</sup> Vid. Strabon. X. p. 470.

adhibita fuisse.<sup>1)</sup> Et quae de ratione Sophoclea hic conjectavimus, aliquam probabilitatis speciem jam inde accipiunt, quod ejus Antigona cum Iphigenia nostra haud parum concinit.<sup>2)</sup> Haec quoque vitam suam profundit, sed carissimam illam et maxime adamatam; nam immatura morte se abruptum iri queritur, priusquam Hymenaei munera, nuptiae et progenies, ipsi obligerint;<sup>3)</sup> sic demum ejus mortem vere tristem et luctuosam esse summus poeta, qui nil in se molitus est, rectissime vidit.

Veniamus ad Achillem, cuius persona haud parum cum Iphigeniae concinit; nam juvenis est idemque pariter mutabilis et inconstans. In universum hoc pertinet, quod apud Aristotelem est<sup>4)</sup>: οὐτε καὶ τὸν ποιτὴν μυοφίλους καὶ ὄργανους καὶ φύσην, καὶ τὰ λοιπά τὰ τοιαῦτα ἔχοντας, τοὺς παρόδειγμα ἡ σκληρότητος δεῖ· οὐτοὶ τὸν Ἀχιλλέα ἀγάθων καὶ θρησκευτικούς. Quae verba ad hunc nostrum Achillem ita quadrant, ut Stagirites eum accurate depinxisse videatur. Neque id Gruppium fugit,<sup>5)</sup> quanquam Poeticae locus minime sic intelligendus est, tanquam Iphigenia ab Agathone conscripta sit. Sed singula persequamur. Ac primum liquet, cur potissimum poëta Achillem in personarum numerum asceriverit. Scilicet virginis immolationem ab eo effectam voluit Mnesarchida.<sup>6)</sup> Has vero partes fervido juveni, qui pugnas et proelia concupiscit, nec a se impetrare potest, ut compressis manibus sedeat, maxime accommodatas esse quis est quin videat? Quid enim? Nonne otiosam vitam degere dedecet eum, qui juveni ardore et laudis cupiditate flagrat? Itaque quodvis impedimentum removendum, immolationem exsequendam, expeditionem festinandam censet. At, quae humanae mentis caligo et caecitas est, non praesagil, quorum res eventura sit; immo quod ceteris fabulae personis accidit, ut fere omnia praeter opinionem eorum cadant, id pariter evenit Pelidae. Nam videamus, quam qualemque personam poëta illi imposuerit. Ubi in scenam prodiit, Clytemnestrae obviam fit, quae benigno quidem vultu juvenem excipit, excepto tamen parum probata est; nam insolentissime ab eo repudiatur. In principio igitur exesse respondet praecepto Horatiano<sup>7)</sup>:

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,  
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Nec negligendum est, quod Gruppius monet,<sup>8)</sup> egregie in illo elucidere iracundiam, sermonis inopiam, morositatem, qua cum muliere confabulari recusat, quae quidem omnia puri puti militis esse solent. Sed mox omnia mutantur. Quum fucum sibi factum sentiat Clytaemnestra, nec jam habeat, quo sese vertat: ad Pelidae genua procumbit, filiae vitam deprecatur, nec amplius repulsam fert. Quam singulari arte omnia haec inventa et instituta sint, jam docuit Gruppius.<sup>9)</sup> Neque enim Iphigeniam usque ad id tempus conspexit Achilles; itaque, quodcumque fecit, id propter meram misericordiam, non propter virginis amorem fecit, qua ipsa in re egregia quaedam poëta parsimonia cernitur. Nonne enim gradatio illa, qua Thetidis filius pedetentim ab atrocitate ad misericordiam, a misericordia ad admirationem, ab admiratione ad amorem flectitur, summam artem prodit? Nam vix ipsam virginem et generosam ejus devotionem illa conspicatus est, quem severitate ista deposita sensus suos ingenue exprimit ac virginis sibi destinatae amissionem vehementer dolet; quae animi commutatio eo

<sup>1)</sup> Gruppe I. I. p. 596.

<sup>2)</sup> Ibid. p. 375.

<sup>3)</sup> Vid. Antigon. v. 801 seqq., v. 903 seqq. (ed. Wunder) al.

<sup>4)</sup> Poet. c. XV.

<sup>5)</sup> Ariadne, p. 551: Wenn Agathon den Achill zugleich erzürnt und doch billig geschildert haben soll, so läge sehr nah, an unser Stück zu denken.

<sup>6)</sup> Cf. Firmhaber, edit. fab. Excurs. VI. p. 287 infr.

<sup>7)</sup> Ars poet. p. 120 seqq.

<sup>8)</sup> Ariadne. p. 476.

<sup>9)</sup> Ibid. p. 479.

magis nos permovet, quo minus humanitatis sensu, praeditum adhuc sese ostendit. At, proh dolor! poenitentia, qua antea dicta et facta retractare concupiscit, sera sequitur eademque inutilis; jam secespitam, jam coronam parant, parendum est necessitati.<sup>1)</sup> Neque vero egregia haec Achillis descriptio omnibus comprobata fuit; quid? quod nonnunquam praepostere et inique judicata est et in varias reprehensiones incidit. Inque primis Schillerum<sup>2)</sup> nostrum accusemus oportet, qui in eo potissimum offendit, quod Achilles oracula vatemque, eorum auctorem, pariter contemnat.<sup>3)</sup> Nam quum Iphigeniam servaturus illorum sanctitatem non amplius agnoscat, credidisse statuendus est, virginem non tam divino quodam numine, quam malis istius vatis artibus fallaciisque immolationi esse destinatam. Quod si credidit, inquit Schillerus, qua tandem ratione fieri potuit, ut ejusmodi insidiarum otiosus spectator esset? — Plane diversa sunt, quae Gruppius de hac re disputavit,<sup>4)</sup> quippe cui maledicta illa in vates conjecta cum servata virgine egregie discrepare videantur. Nam in tanta rerum perturbatione, inquit, omnem calamitatem nunc huic, nunc illi adscriptam videmus: accusantur Menelaus, Helena, Agamemnon, accusantur Achivi, vates, dii ipsi, sed omnes deinceps purgantur. Una Diana restat, cui crimen inheraret, unde fit, ut chorus abeuntem virginem misericordia prosecutus deae crudelitatem graviter accuset.<sup>5)</sup> Sed non amplius dea quiescit: servatur virgo, ut in epilogi est, ac numen divinum antea despectum recenti gloria nitet et fulget. — Huic vero sententiae sunt quae opponi possint. Nam deae satisfactio in epilogi inest, quem spurium esse vel caeco appetit.<sup>6)</sup> Itaque expungere eum possumus, quo facto tota haec satisfactio tollitur, nec quidquam nisi deae haruspicinaeque sugillatio restat. Sin autem pro epilogi, qui nunc est, Dianae orationem Aelianis curis superstititem substituimus, ne sic quidem res mutatur, quia in versibus ab Aeliano laudatis non de virginem servata dea narrat, sed servatum eam iri pollicetur tantum; itaque, si quis antea Dianae numen parum veneratus est, suo jure nunc dubitabit, utrumne promisso satisfactura sit, an non sit. Ceterum difficultas ista, qua Schillerus offendit, facile, opinor, tolli potest; immo vel duplicum habet explicationem dicam anne excusationem? Primum enim tenendum est, non, quem Gruppius vult, Chaeremonem, sed Euripidem Mnesarchi Iphigeniae auctorem esse. Quod si credimus, quid mirum, si in fabula Euripidea vates perstrictos videmus? Nam aut fallor aut ipse Euripides is fuit, qui haruspicinae ac superstitioni, quae inde redundaret, parum parcere sciret, immo qui quamvis obsoleta hujusmodi instituta cavillandi occasionem avidissime aucuparetur. Nec timendum ei erat, ne illa ipsa aetate, qua Pietas et sancta Fides e terris recesserant, immo, quaecunque majoribus veneranda et religiosa esse videbantur, ea

<sup>1)</sup> Firmhaber I. I. p. 287 infr.: Er will Iphigenie retten; aber je eifriger er danach strebt, um so mehr dient er, wie es so oft geschieht, dem Schicksal zur Ausführung einer gerade entgegengesetzten Absicht etc.

<sup>2)</sup> Adnotatt. ad convers fab.: Auch bei dem Character des Achill bleibt man zweifelhaft, ob man ihn tadeln oder bewundern soll. — — — Entweder ist sein Versuch zu retten, thöricht oder seine nachfolgende Ergebung unverzeihlich, und inconsequent bleibt in jedem Falle sein Betragen. E. q. 5.

<sup>3)</sup> V. 952 sqq. (Firnh.): — τις δὲ μάρτις ἤτε ἀνήρ; Οὐ δὲλγύ<sup>2</sup> ἀληθῆς, πολλὰ δὲ φευδῆ λέγει, Τυχῶν· ὅταν δὲ μὴ τίχη, διολχεται;

<sup>4)</sup> Ariadne. p. 496.

<sup>5)</sup> V. 1495 sqq. Firnh.

<sup>6)</sup> De epilogi cf.: O. Müller, Lit.-Gesch. Bd. 2. p. 177. — Bremi, Schweizer Beiträge. p. 149. — G. Hermann, praef. ad Iph. edit. p. VII. — Seyffert, quaest. p. 13. — Matthiae, annot. ad Eur. T. VII. p. 408. — Bartsch, de Eur. Iph. Aul auctore. p. 7. supr. — Hartung, edit. Iph. p. 85. — Zirndorfer, de chronol. fabb. Eur. p. 103. — Idem, de Eur. Iph. Aul. Marburg, 1838. p. 25. — Mehlhorn in: Allg. Schulz. 1833. p. 628. — Lindemann, dissert. de Eur. Iph. Aul. p. 1. et 4. — Erfurdt, ad Ajac. v. 1109. — Bode, Gesch. der dramat. Dichtk. der Hellenen. p. 509. — Hutter, über den Prol. und Epilog zu Eurip. Iph. Aul. München, 1844. 4. — Cf. Jahns Jahrb. 1844, 116. — Epilogum defendenter atque Euripidi tribuerunt: Boeckhius [tr. Gr. princeps. p. 270. infr.], Gruppius [Ariadne. p. 502. 09], Kieffer [Darleg. des Gedankenzusammenhangs in der Aul. Iph. Herbstpr. Nürnberg, 1837. Th. II. p. 8.]

amidum religionem suam amiserant, inque dies magis addubitari, neglgi atque contemni copta erant, ne hac, inquam, aetate aequales suos deorum despiciens ac liberiore suo de rebus diuinis judicio offendere. Hac igitur ex parte Euripides mirum quantum discrepat ab Aeschylo et Sophocle, qui quum veterem religionem cum lacte nutricis quasi suxissent, priscam pietatem fidemque per totam vitam anxie retinuerunt. Euripides vero<sup>1)</sup> quemadmodum a teneris, quod Graeci ajunt, unguiculis veterum deorum contentioni assuefactus erat: ita post expeditionem Siculam, cuius eventum haruspicinae vanitatem plane denudasse constat,<sup>2)</sup> vates aperte deridere et cavillari non amplius verebatur, atque sexenti ejus loci inveniuntur, qui hue spectant.<sup>3)</sup> Nec in Iphigenia nostra vatis peperit,<sup>4)</sup> quod quā factum sit, Schillerus miratur; at nos contra miraremur, si deliciis suis abstinuisse poeta, cui ut alias, sic praesertim in hac re, suas ipsius sententias fabulis immiscere mos erat. Deinde vero his omnibus remotis Achillis persona ne per se quidem vitiosa est, id quod vix infitias ibit is, qui rerum conditionem ac statum satis pependerit. Nimurum Pelides, ut servidus gloriaeque avidissimus vir, vel maxime optat, ut tandem aliquando naves solvantur. Quod quominus fiat, obstant Diana et Calchantis vaticinium. Itaque curat, ut deae ira placetur et oracula satisfiat, h. e. ut immoletur virgo. At, inquires, quid oraculis satisfacere opus est, quibus, quippe a fraudulentis vatis fictis, fides denegatur? Bene dicis! Sed, quaequo, etiamsi Achilles vatis succenset eorumque oracula contemnit, num inde sequitur exercitum quoque de hac re sentire? Nonne potius milites Calchanti credidisse ideoque in immolandi consilio perseverasse verisimile est? — Itaque non potest, quin vel invitum virginis causam deponat. Sed restant alia, quae hue faciunt. Postulat immolationem patruus Iphigeniae, postulat et ipse virginis pater. Quid? Invitisne propinquis et cognatis ab eo illam servari, quocum nullo aut sanguinis aut necessitatis vinculo conjuncta est? Huncenunum non solum toti exercitui, sed etiam potentissimis ducibus resistere? Non ita! Communi omnium voluntati obtemperandum est, nec amplius virginis vitae parcere licet, immo ne tum quidem licet, si vel haruspicum fallaciis dolisque ejus interitus debeatur. Jam igitur vides, quot qualesque causae sint, cur Achilles, quamvis de oraculorum vanitate plane non dubitet, tamen non modo virginis amatissimae immolationi non officiat, sed, ut in epilogi est, ne caerimonias quidem ac ritus legitos in ipso sacrificio usitatos adjuvare vereatur.

Haec hactenus. Jam de Hartungio videamus, qui itidem Pelidae personam ut vitiosam reprehendit. Achilles idem, inquit,<sup>5)</sup> qui virginem ne immolaretur defensurum se esse pollitus est, eandem ipse immolat, et tamen preces sic facit, quasi Agamemnon immitus moleat.<sup>6)</sup> At meminerit Hartungius, qua conditione se defensurum esse dixerit. Quod quum oblitus esse videatur, totum locum hic repete juvat<sup>7)</sup>:

ὅμως δέ, τῶντος γε καν μεταγγνολης τάδε.  
ὅς οὖν ἀνθρώπος ταῖς τροπαῖς λαλεῖσθαι.  
λαθὼν τιδ' ὄπις θύσιμων βίωσαι πέλεια.  
ὅς οὐκάνθων σ', ἀλλὰ κωλίων θυτεῖν κ. τ. λ.

Clarissimis igitur verbis Achilles dicit, fieri posse, ut virginem consilii sui poeniteat; quod si fiat, se ei suppetias venturum esse pollicetur. Quum vero virginem consilii non poeniteat, Achilles non fiat, se ei suppetias venturum esse pollicetur.

<sup>1)</sup> Cf. de tota hac re: Firnhaber, Edit. p. XLV. XLVI. p. 128. — C. Fr. Hermann, quæsti. Oedipp. p. 48.

<sup>2)</sup> Thucyd. VIII, 1: ἀρχέσοντο καὶ τοῖς χρησιμότοις τε καὶ μάρτυσι καὶ δόσοις τούτοις θείουσιν επηγένεσαν ὡς ληφθοταταί.

<sup>3)</sup> Vid. Hippolyt. v. 1058. — Hecub. v. 1268. — Electr. v. 400. Helen. v. 744. 757. Phoen. v. 772.

<sup>4)</sup> V. 90. 516. 952. (Firnb.)

<sup>5)</sup> Vid. ejus edit. p. 85..

<sup>6)</sup> Idem fere Zirndorfer repeluit (de chronol. fabb. Eurr. p. 100 supr.): Tam parum nostra fabula sibi constat, ut is, qui multis verbis ad taedium usque se Iphigeniam servaturum dixit, in fine etiam in illa sacrificanda alios adjuvet.

<sup>7)</sup> V. 1416—1419 (Firnb.). — Cf. Firnhaber, edit. p. 286.

amplius tenetur promisso. Falso igitur Hartungius Peliden accusat, quod Iphigeniam, quam servaturum se esse omni pignore affirmasset, tamen Orco sicut mactari. Immovero, quantum equidem judicare possum, accusandus esset, si mactari non sivisset. Nam, ut recte ait Kiefferus,<sup>1)</sup> innocentem virginem ad mortem raptam contra vim defendere dignissimum erat tanto viro; sed invitam eam tueri non solum temerarium, sed etiam ridiculum fuisse.<sup>2)</sup> Ceterum sive Hartungio adstipulamur sive non adstipulamur, poeta rem aliter instituere non potuit ac re vera fecit. Fac enim Achillem Iphigeniam voluisse defendere. Nonne consilium illud persecuturus immolationi adesse debebat? Immo non solum adesse debebat, sed etiam sacrificium adjuvare, si virginem fortasse servatum iuri sperare vellet.<sup>3)</sup> — Restat, ut, cujus mentionem jam fecimus, ad Zirndorferum redeamus, qui in criminatione illa Hartungiana non acquievit, sed omnino Achillis mores ut inconstantes et mutabiles vituperavit. In nostra tragœdia, inquit,<sup>4)</sup> Achillis mores minime sibi constant, quippe qui partim ut vir placidissimus appareat, qui, etsi maxime lacesitus, Agamemnoni de injuria persuadere vult, partim maxime iracundus, qui se vel omnes Graecos, quominus rem injustissimam perpetrent, consortis manibus cohibitorum esse profitetur. — Habeamus confusionem duorum Achilli, ut ita dicam, nimurum mitis et iracundi. — At vereor ut integre et incorrupte judicaverit V. D. Nimurum id agit, ut fabulam nostram ex duabus (Euripidis majoris et minoris) conflata et a grammatico aliquo interpolatam esse ostendat; cujus interpolationis vestigia illo judge cernuntur in initio dramatis, in altera parodi parte, in versibus bis terve repetitis, in versuum inaequalitate, in moribus Achillis. Ergo aut non vidit V. D. aut, si vidit, præ nimio argumentandi studio neglexit, quam eximie pulchra esset haec juvenis inconstantia, qua inter iram et lenitatem fluctuaret; nam pulchra est, quia ad verum expressa et naturae plane accommodata.<sup>5)</sup> Quid? quod contra naturam poeta scripsisset et cogitasset, si servidissimum acerrimumque juvenem immutabilem et constantem fecisset. Et cur tandem (sic jure nostro quaerimus) non itidem ex Iphigeniae, Agamemnonis, Menelai personis de fabulae interpolatione conjecturam fecit? Nam si multiplex personae cujusdam ingenium multiplicem interpolationem arguit, non est, cur Iphigeniam nostram ex pluribus fabulis consultam esse negemus. Sic v. c. persona Agamemnonis, qui nunc hominem, nunc monstrum hominis, nunc probum et honestum, nunc fraudulentum sese præbet, ex tot tamque diversis rebus conflata est, ut, si quis Zirndorfero auctore has discrepancies interpretari vellet, duae fabulae vix sufficient. Itaque jam vides, quo haec ducant, et quam nihil V. D. hac demonstrandi ratione efficiat, qua de re missa haec faciamus, praesertim quum id, quod præclare et pulchre poeta instituit, prorsus neglexisse videatur.

Restat, ut de Atridis pauca addamus, qui et ipsi mutabiles ac parum sibi constantes sese ostendunt. Ordiamur ab Agamemnone, qui ob inconstantiam suam a Schillerero nostro acerrime reprehenditur.<sup>6)</sup> Sed personam mutabilem non per se vituperandam esse, affatim jam patet ex iis, quae de Iphigenia et Achille supra diximus; atque tum demum morum commutatio vitiosa fit et reprehensione digna, si

<sup>1)</sup> Darlegung des Gedankenzusammenhangs in der Aul. Iph. Progr. Nuernb. Pars II. 1838. p. 11.

<sup>2)</sup> Cf. Witzel in: Neue Jahrb. für Phil. u. Paedag. 1839. p. 188.

<sup>3)</sup> Vid. Firnb. I. I. p. 287.

<sup>4)</sup> De chronol. fabb. Eurr. p. 100.

<sup>5)</sup> Horat. art. poet. v. 159: — — — [puer] iram

Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.  
Aristot. Rhetor. II, 12 (Bekk.): εἰμετάβολοι δὲ καὶ ἀνθρώποι (οἱ νέοι scil.) πρὸς τὸν ἐπιθυμοῦντα,  
ταχέως δὲ παιοντα κ. τ. λ.

<sup>6)</sup> Annott. ad conv. fab.: Agamemnons Charakter ist nicht fest gezeichnet und durch ein zweideutiges Schwanken zwischen Unmensch und Mensch, Ehrenmann und Betrüger nicht wohl fähig, unser Mitleid zu erregen.

ex toto rerum nexus satis explicari nequit. At in Agamemnone potest, ni fallor, explicari. Nam Atrides ad eorum genus pertinet qui in quavis rerum conditione diu haesitant, quique, quum hanc vel illam agendi rationem nunc cupidissime amplectantur, nunc fastidiose abjiciant spernantque, inter varias sententias fluctuant, donec, omnibus diligentissime circumspectis, consilium aliquod capiunt, captum autem pervicaciter tenent.<sup>1)</sup> Multa sunt, eaque diversa, quae Atridae animum movent. Primum enim insatiabili honoris cupiditate duci se sinit, nec quidquam vehementius optat, quam ut expeditio Trojana ad effectum adducatur, scilicet ne ipse imperii dignitatem vix sibi concessam statim amittat.<sup>2)</sup> Deinde neque paternum neque conjugalem amorem adeo abjecit, ut filiam suam immolari lento pectore pati possit. Accedit, quod vates, quod Menelaus, quod milites sacrificium vehementer flagitant. Duce mere ipsum, cui exercitus salus cordi esse debet, eorum precibus resistere? — Nihilo tamen minus initio filiae amor vincit; mandatum illud, quo uxorem cum filia Aulidem venire jussit, revocare studet; sed, eheu! ad irritum cadit ejus consilium, nuntius cum epistola a Menelao interceptus, advenit Iphigenia in castra. Sic omnia miscentur et turbantur, atque tum demum, ubi filiae immolandae consilium semel cepit, obstinato animo in incepto perstat, quod ipsum, sicuti jam diximus, hujusmodi personis proprium esse solet. Itaque Agamemnonis indolem cave reprehendas; quod qui facit, nec Homero parcere debebit, qui Agamemnonem pariter cunctantem et religiosum descripsit. At Homerus, quanquam interdum dormitasse dicitur, tamen in ejusmodi certe rebus nil inepte molitus est. — Nec minus egregie animi dolores depinxit poeta, quibus infelix pater misere tabescit: vix a se impetrare potest Atrides, ut tam carum caput deserat et quasi projiciat; neque enim a pietatis sensu abhorret, atque inconstantia illa tantum abest ut illum dedebeat, ut ex nostro sensu summis laudibus digna sit, quippe quae non ex animi quadam imbecillitate, sed ex pura puta humanitate fluxerit; id quod vituperatores ejus plane fugisse videtur. Sed restant alia, et ea graviora. Nam, quae poetae nostri, ut ita dicam, parsimonia est, artes, quibus spectatores commoveret, non onnes simul temere profudit, sed gradationem quandam ita adhibuit, ut, a levioribus ad graviora pedetentim progressus, gravissima quaeque ad imum rejeiceret. Sic, opinor, in dramatis initio spectatorum misericordia inde tantum oritur, quod Atrides de filiae sorte anxie secum reputat. Deinde post Clytaemnestrae et Iphigeniae adventum aliud momentum accedit; et id quidem in eo cernitur, quod Agamemnon mulieribus coram dolores suos et animi cruciatus sedulo dissimulare, immo totam rerum conditionem et ipsam immolationem anxie celare coactum se videt, ex qua re duplex quasi animi affectus ad nos redundat: alter ob Iphigeniae calamitatem, alter ob Agamemnonis miseriam. Haec plane concinere cum Neoptolemi desriptione, qualem in Philocteta Sophoclis legimus, jam monuit Gruppius.<sup>3)</sup> Quemadmodum enim Neoptolemus Poeantis filium Ulixis fallacias celare cogitur, nec nisi invitus ad mendacium, quippe a necessitate sibi extortum, confugit: ita hic quoque Atrides uxori et filiae invito animo fucum facit, immo, dum facit, summo dolore dirumpitur. Uterque vero eo magis dolet, quo majore misericordia prosequitur eos, quos decipit. Sed maximi Atridae dolores, si quid sapio, inde oriuntur, quod, quanquam omni culpa vacuus est, tamen tanquam seelestus et nefarius a diis in exitium praecipitur. Iphigeniam enim etiamsi non revera servavit, at saltem servare studuit, nec patris vitio, sed divinitus aut, si ita vis, fato factum est, ut servandae illius consilia ad irritum redigerentur. Quanquam igitur nullius culpeae sibi conscientia est, tamen veteratoris fraudulentem speciem prae se fert, quod ipsum Agamemnonis miseriam idemque spectatorum misericordiam miro modo non adaugere non potest. Nihilosecius ejus persona vituperationem non fugit. Et ut Schillerum omittam, cuius notae ex antecedentibus satis jam refutantur, iterum Hartungius is fuit, qui

<sup>13</sup> Ariadne, p. 499 inf.: Ein bedenklicher, contemplativer Character, wie wir den des Agamemnon mit meisterhafter Sicherheit gezeichnet sehen, ein solcher erwägt und schwankt lange, dann aber steht er unerschütterlich fest.

<sup>2)</sup> Cf. Menelai oration. v. 333 sqq. (Firnh.)

<sup>3</sup>) Ariadne, p. 500.

in Atridam, praesertim qualem in sacrificio sese praebet, fulmina sua jecit. Agamemno, inquit, filia procul conspecta, ne illam videret aut ipse ab illa videretur, capite obvoluto se abscondit. Sed pravam hanc obvolutionis interpretationem suo jure rejecit Firhaber,<sup>1)</sup> qui demon-  
strat alias quoque causas cogitari posse, cur Agamemno sic fecerit, immo dolorem pudoremque mise-  
ricordiae mixtos ejus animum adeo occupasse, ut hominum adspectum amplius ferre nequiret. Ut  
epilogum nostrum fortasse spurium esse taceam, quod si statuimus, ejus vitia Euripidi certe non sunt  
imputanda; mihi quidem nihil naturae magis consentaneum, nihil, ut ita dicam, magis poeticum esse  
videtur, quam quod in extrema illa scena Atrida caput obvolvit. Audiamus enim, quae-  
so, Valerium  
Maximum<sup>2)</sup> de Timanthis pictura. Quid ille alter, inquit, aequo nobilis pictor luctuosum  
immolatae Iphigeniae sacrificium referens, quum Calchanta tristem, moestum Ulys-  
sem, clamantem Ajacem, lamentantem Menelaum circa aram statuisset, caput Aga-  
memnonis involvendc, nonne summi moeroris acerbitate exprimi non posse confessus est?<sup>3)</sup> Haec, ni fallor, tenenda sunt, si quis Atridae personam, qualem in epilogo descriptam  
habemus, ex aequo judicare velit. Summum Agamemnonis dolorem arte satis exprimi vix posse quum  
ipse poeta sentiret, ad externa et adventicia confugit adjumenta, et quia animi sensus depingere non  
sibi concessum videbat, corporis certe speciem et habitum ita depingere conatus est, ut infelicissimi  
patris desperatio sic saltē quodammodo eluceret. Hinc, opinor, descriptio illa ab Hartungio vituperata  
originem traxit. Atrides, ut in epilogo est,<sup>4)</sup> ingemiscit in miserrimo miserrimae virginis adspectu;  
in lacrimas effundit acerbissimum dolorem; non amplius carissimi capitinis adspectum ferre potest;  
caput obvolvit, atque silet. Quam artificiosa haec dispositio sit, documento est marmor illud  
Florentinum, Cleomenis ara, quod Uhdnius descripsit,<sup>5)</sup> in quo itidem Iphigeniae patrem chlamyde  
indutum videmus, ita quidem, ut velato capite dextro cubito nitatur. — Omnia absurdissimum,  
pergit Hartungius, quod Agamemno finitis rebus supervenit. Quam gravi  
vero causa impulsum, quam dura necessitate coactum putas, ut iratam uxorem  
convenire neque ignominiam pudoremque vitare velle! Scilicet domum illam  
redire jubet, quoniam sibi Trojam proficiscendum sit!<sup>6)</sup> — Quod idem poetae expro-  
brarunt Bremius<sup>7)</sup> et Bartschius,<sup>8)</sup> qui ex hac re epilogum interpolatoris esse effecit. Sed etiamsi  
quis ejus *roθελαν* inficias iret, tamen nonnulla ad excusandum Euripidem afferri possent, ac revera  
attulit Kieslerus,<sup>9)</sup> qui longam Agamemnonis orationem in loco fuisse plane negavit. Clytaemnestrae,  
inquit, mutabili esse atque infirme non licet; quod si licet, nexus tolleretur, qui inter hanc nostram  
tragoediam ac totam de Atridis fabulam intercedit. Quodsi vero sibi constare nec de marito suo aliter  
cogitare debet, — quid multis huic verbis opus est? Nec vacat quidem copiosae orationi, quandoquidem Cal-  
chante auctore maturandum ei est proficisci, ne vento secundo a dea missō desit. Addit Firhaber<sup>10)</sup>

<sup>1)</sup> Edit. Iph. Excurs. VI, p. 283 sqq.

<sup>2)</sup> Lib. VIII. c. 9. — cf. Gruppe I. I. p. 573. — O. Müller, Archäol. 2. Ausg. p. 135, 655.

<sup>3)</sup> Cf. Ciceronis orator, 22 extr.: Si denique pictor ille vidit, cum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, moestior Ulysses, moereret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam sumnum illum luctum penicillo non posset imitari.

<sup>4)</sup> Iphig. Aul. v. 1536—1539 (Firnh.)

<sup>9)</sup> Abhandl. der Berl. Acad. 1812. p. 74-84. — O. Müller, Archäol. 2. Ausg. p. 655. — Cf. Nitzsch ad Odyss. VIII, 84.

<sup>8)</sup> L. l. p. 7: Vide porro, finita nuntii narratione quam misere et i-

**D**icitus. Namque, 1686. — **C**ontra. **M**aximus. **A**ntiquorum impo prodeat Argentino, Glycadenstram denuo de filiae sorte certiore faciens et domum redire jubens et valere.

① Progr. Nuernb. 1838. p.

fortasse Euripidem, qui sub unem fabulae justo saepius negligentiae suae indulgeat, tam longam fabulam, quae usitatos terminos jamjam egressa esset, novis scenis amplificare fastidivissè. Sed quidquid judicabis, nos certe, qui epilogum genuinum esse negamus, hanc quaestionem sine scelere in medio relinquere posse nobis videmur.

Sed haec hactenus. De Menelai persona non multa habeo, quae addam, siquidem Euripidea ejus descripicio in universum ab Homericá parum differt. Scilicet uterque poeta maxime iracundum Menelaum depiaxit, neque hac ex parte in Iphigenia alium se praebet atque in Iliade. Etenim, quae eximia ejus inconstantia est, quippe qua Iphigeniam, Achillem, Agamemnonem penitus aequiparat, modo iracundia exardescit, in simpulo, quod ajunt, fluctus excitat, rixaeque cupidissimum se ostendit; nunc suppliciter ac submisso non dicam veniam petit, sed facilem se praebet et ad poenitendum agitur. Et bujus quidem iracundiae specimen statim in initio fabulae habemus. Nam in scena illa, qua servum cum literis intercipit, vehementissime tumultuantur, imbecillum senem regio suo, quod manibus gestat, sceptro mulcare minatur, omninoque tanquam servum acriter eum increpat. Nec in dialogo isto, quo cum fratre rixatur, a se desciscit, sed personam suam egregie tuerit, utpote qui initio indignationulum suam libere effundat, mox vero sedate placideque fratrem alloquatur. Alteram Atridarum altercationem in Telepho fuisse scimus, et quae, quantum ex fragmentis concludere licet, cum hac nostra sane quam concineret<sup>1)</sup>. — Jam si posteriorem Iphigeniae scenam, in qua Menelaus fratri animum reconciliare sibi studet, cum priore illa comparamus, totus ille videtur commutatus esse. Itaque Aristotele justice ἡθος ἀνόμιας exhibet, ac fortasse quis hanc ob causam totam ejus descriptionem reprobrare possit. Quod cave faxis; nam animi haec commutatio tantum abest ut inconstantiam prodat, ut reapse summae constantiae specimen evadat. Nimurum me justice constans est, si quis non a se desciscit, sed propriam suam naturam ita sequitur, ut nunquam aliis esse videatur, ac re vera sit. Itaque quemadmodum deum divinam, heroēm heroicam, ita hominem humanam naturam prae se ferre oportebit. Jam si in homine subsistimus, facile patet, qua ratione ita depingendus sit, ut ubi vis humanitatem suam retinuisse merito dicatur. Duo enim sunt, quae in hominis natura internosci debebunt: unum, quod cum universo hominū genere ei commune est; alterum, quod proprium habet et singulare. Et illud quidem in eo potissimum cernitur, quod omnes omni tempore mutamur et variamur. Nam quum non iū simus, qui nobis res, sed nos rebus subjugere cogamur, iidemque quavis impulsione extrinsecus oblata et ab externis rebus profecta ad actionem excitemur, fieri non potest, quin natura humana, quae quasi cera facile imprimitur, una cum rebus modo buc modo illuc flectatur, itaque sive in melius mutetur sive in deterius. Sin igitur persona ita descripta esset, ut plane non mutaretur, perperam, h. e. contra naturam, poeta eam descripsisset. Deinde vero in quavis persona etiam ea elucidere oportet, quae ejus propria sunt; quod si poeta neglexerit, non ad verum eam expressit. Itaque gloriose homini tribuere debebit, quae gloriosi sunt, arroganti, quae arrogantis, iracundo, quae iracundi. Unde apparet, ni fallor, quam vere et recte Menelai personam poeta descriperit. Nam iracundus ille est et servidus; est autem iracundi, momento temporis excandescere quidem et ira effterri, sed mox manus dare et supplicis instar veniam petere. Itaque, quod in fabula nostra Euripides finxit, Menelaum initio Agamemnonem vehementer increpasse, deinde vero re diligenter perpensa et considerata mitissimum placidissimumque sese ostendisse, quippe qui sua sponte in gratiam cum eo redierit, id naturae adeo consentaneum et ad verum tam singulari arte expressum putamus, ut quemadmodum reliquarum personarum sic hanc quoque Menelai descriptionem ut maxime artificiosam jure nostro laudare et comprobare nobis videamur.

<sup>1)</sup> Cf. Firnhaber, Edit p. 278.